



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

32. De rescripto Pontificio, quod subrogationes appellanti & de
subrogationibus, quæ in beneficijs litigiosis fieri solent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

qui ei beneficium concesserat, nec ab altero proxime succedente poterit impetrare ab eo, qui temore succederit.

Duodecimo queritur, An diploma Pontificium obtentum possit corrigi, & emendari per rescriptum, Rationi congruit, negat ibidem Rebuffus *nu. vigesimo quarto*, nisi cum aliquid est in diplomate prætermisum, quod tamen fuerat expressum in prima impetratione gratiæ à demortuo Pontifice concessæ, & resignatæ.

CAP. XXXII.

De rescripto Pontificio quod subrogationis Appellanti, & de subrogationibus, quæ in beneficiis litigiosis fieri solent.

Subrogatio per rescriptum Pontificium concessa, certum quoddam genus est beneficii ante acquisiti retinendi, & conferuandi, de qua quidem subrogatione nonnulla sunt hoc loco tractanda. de hoc rescripto, & formula eius, *Reb. in practi beneficiorum par. 3. 1. de subrogationibus.*

Primo queritur, Quid nomine subrogationis in præfenti loco intelligatur? Respondeo, *ex l. proponebatur. ff. de Iudiciis*, subrogationem esse, qua quis, vel quippiam in locum alterius sufficitur, ut cum iudex aut miles in locum alterius supponitur. Sic olim Consul apud Romanos, alteram in locum demortui Consulis sufficiebat. Sufficitur autem aliquis loco alterius vel viuentis, & tunc aut volentis, aut iniuri, vel demortui. Vnde rescriptum Pontificium subrogationis est, quo Pontifex mandat aliquem in locum alterius de certo beneficio litigantis, substituitur *capitulum primo. Ut lite pendens. in sexto*. Fieri autem duobus modis subrogatio solet: aut enim Pontifex præcipit Ordinario loci, ut aliquem subroget in omne ius, & locum alterius vita defuncti, aut ipse subrogat. At vero, ut lites citius perimantur, subrogat Papa, & subrogando confert idem ius, quod alter litigantium vita functus habebat. Item, subrogat Pontifex aliquem in beneficium, aut quia vnus litigantium è vita decessit, vel nuptias contraxit, vel Religionem professus est: aut quia se suo iure abdicauit, vel est beneficium ob crimen deictus, *e. l. ut lite pendens. in 6. at ne nouus aduersarius exurgat, si alter litigantium è vita decesserit, Papa facile subrogat alterum litigantium, ita ut hic cæteris præferatur, si intra mensem petierit, ut ipse subrogetur, ut habetur Regula 29. Cancellaria*. Cum vero subrogatur alius intra mensem, eo quod vnus litigantium suo iuri cesserit vel obierit, tunc Regulæ cancellariæ derogatur.

Secundo queritur, In quo iure succedat is qui subrogatur: In omni iure, quod alter litigantium habebat, quo tempore obiit, vel suo iure cessit. Nam quamuis *e. 2. ut lite pendens. in 6.* sancitum sit, ne quis subrogetur in ius actoris, vel petitoris, sed in ius rei, aut defensoris: est tamen vsu receptum, ut in mortuo actore, vel reo, ius illius conferatur alteri, qui in locum demortui subrogatur, & Papa in rescripto subrogationis nouum ius subrogato non tribuit, sed illud idem ius quod continebat litiganti mortuo, vel iure cedenti. Vnde is qui subrogatur nõto titulo, ratione istiusmodi rescripti iuari nequit: & ideo Pontifex in hoc rescripto dicit (*Diciturque ius quod Titius in prædicta Ecclesia tempore sui obitus, vel cessionis habebat, ut ibi conferimus, & de illo etiam prouidemus, &c.*) nisi clausula vtatur (*Et de nouo, si opus sit, etiam prouidemus*) tunc enim id rescriptum ad ius nouum prodesset.

Tertio queritur, Quæ sint in hoc rescripto subrogationis exprimentenda? Primum, faciendæ est mentio vitiosæ possessionis, quam habebat is, in cuius locum alius subrogatur: alioqui nulla est subrogatio, teste Calderino *consil. 11. & 12. de rescriptis, quem refert, & sequitur Rebuffus loco citato numero. 19.* Deinde, si subrogatio à Papa im-

petretur, mentio fieri debet de beneficijs, quæ subrogatus obtinere ratio est, quoniam qui subrogatur, ius acquirit ad beneficium, de quo litigatur: Sic *Auditors in Rosa decis. 274.* licet in subrogatione, in nouis, teste *Reb. quo diximus loco, num. 20.* Item exprimentus est status litis, & causæ, & is iudex ad quem delata sit, & apud quem pendeat. An apud iudicem laicum super iure (ut loquuntur) possessorio: An apud Ecclesiasticum super iure petitorio. Denique eadem omnia explicari oportet, quæ expressa fuerunt in libello supplici dato Pontifici, & ab eo signato. *Rebuffus loco citato.*

Quarto queritur, An Ordinarius loci possit alterum in locum demortui subrogare lite pendente? Minime: id quæ colligitur *ex c. 1. & 2. Ut lite pendens. in sexto.*

Quinto queritur, An qui subrogatur, possessionem apprehendere queat? Respondeo distinguendo: Aut subrogatur tantum in ius demortui, & hic nequit possessionem capere, quod si capiat, nullius erit momenti subrogatio: Aut subrogatur etiam in possessionem, & hic potest possessionem nancisci, dummodo literas Pontificiæ ad id expeditas acceperit. Nam post sibi defuncti ad hæredem non transit. *Cum hæres. ff. de acq. possess. &* tamen rescripto Principis, aut Iudicis decreto possessio ad hæredem continuata transfertur; sic etiam Papa rescripto potest possessionem, ex vno in alterum continuatam transferre. *Felini. Rubrica de rescr. n. 6.*

Sexto queritur, Quidnam contineat Regula Cancellariæ de subrogandis collitigantibus? Respondeo, eam Regulam sic habere: *Item, idem Dominus noster littum suadere cupiens anfractus, & ne noui collitigantibus, aduersarij detur, prouidere voluit. statuit, & ordinauit, quod quoties decem aliquem super quouis Ecclesiastico beneficio collitigant, in iure, vel ad ius, si quod forsitan eius, aduersario in dicto beneficio competitoris, subrogari concesserit, diuomodo præfatus collitigant in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum aduersarium postquam illud per triennium pacifice possiderit, lites tunc motæ fuerit, aliorum quorumlibet de præmissis iure siue tunc vacet, vel tum vacauerit, imperationis, (& Leo X. addidit: vel concesserit, etiam motu proprio) infra mensem ante cessionem huiusmodi facta, nullius sint valoris, vel momenti. Hactenus Regula. Adrianus VI & Paulus III. addiderunt, quæ sequuntur: *Et nihilominus felici recordationis Pauli II. & Innocentij VII. Romanorum Pontificum prædecessorum suorum vestigijs inherendo, cupiens eorum fraudibus obuiare, qui venientium beneficia, illorum præferent, quibus aut propter senium, aut infirmitatem immunitate vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus, tanquam collitigantes in illorum iuribus facilius subrogantur, voluit, ut deinceps nullus in iure, vel ad ius beneficio defuncti, quod illo viuentis in casibus præmissis, vel similibus impetrasset, aliquo modo subrogatur: ac subrogatio, & gratia si neutri si nulli, seu noua provisionis, aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur: quod etiam strictissime obseruari mandauit imperationibus beneficiorum per priuationem & amotionem, ex quibusuis criminibus, & excessibus forsitan perpetratis: etiam si iuris definitiuam sententiam, quæ tamen in rem non transferri iudicatur, profectum foret. Hæc ibi. Quæ ut melius intelligantur, sciendum est ex c. 2. Ut lite pendens. in sexto. Si vnus litigantium, aut morte citili, videlicet, per matrimonium contractum aut ingressum in Religionem, aut priuationem beneficii aut quando suo se iure sponte abdicabat, non poterat beneficium conferri: siue per electionem, siue institutionem, siue per alium conferendi modum, nisi lites finita fuisset, ita ut de iure defuncti manifeste constitisset. Sic enim ibi statuitur: *Si hi contra quos super dignitatibus, personatibus, vel alijs Ecclesiasticis beneficijs, quæ possident, litigatur, lite pendente cedant, vel forte decedant, ne propter nouos aduersarios, qui malitiose interdum petitoribus subrogantur, litigia in Ecclesiasticum dispendium prorogari contingat, constituimus, ut dignitates, personatus, & huiusmodi beneficia, donec contra superstitios lites finita fuerit, alijs nullatenus conferantur, nec ad ea eligatur quisquam, vel etiam presentetur. Quod si secus actum fuerit, et***

ipso irritum habeatur: sano, si ad defensionem ipsius litis, aliqui quorum intererit, petierint se admitti, eos in illo statu, in quo ipsam inuenerint, conuincere admittendos. Sic regula. In qua statuitur, vt alterutrum litigantium subrogatio infra mensam concedatur, & cuiusque alteri non litiganti infra eundem mensam denegetur: quod si concedatur, nullius sit momenti, sed ei alter litigantium praeferatur, etiam si posterior fuerit subrogatus: ita vt cuiuslibet alteri etiam prius subrogato infra mensam anteponatur. Sic huius Regulae sensum explicuit Mandosius, qu. 2. quidquid Auditor Glossa, & Gomezius senserint, ac dixerint. Circa quam Regulam.

Primo quaeritur, Quisnam intrusus intelligatur, cum dicitur: *Dummodo praefatus colligant in dicto beneficio intrusus non fuerit*: Respondeo, cum Mandosio, q. 4. hoc loco intrusum accipi eum, qui quocumque modo intrusus vocatur. nam vt dicitur c. 31. q. 10. strictius & expressius intrusus solum dicitur, qui beneficium obtinet absque illius auctoritate, cuius est illud conferre. Sed latius multis aliis modis vocatur, quis in beneficium intrusus, & in hac Regula intrusus intelligitur late sumpto vocabulo, quicumque est aliquo modo intrusus. Vnus igitur litigantium si subrogationem impetrauerit intra mensam, a die, quo aliter cesserit, vel decesserit, computandum, cumque alteri, etiam prius intra mensam subrogato praefertur, nisi ipse litigans fuerit intrusus. Sit exemplum: Titus animaduertens Caium Clericum Beneficiarium senem, vel infirmum cito moriturum, intendit ei litem, & beneficij possessionem per vim cepit, vt post ipsius Caij obitum subrogationem & beneficium impetret: nulla erit talis subrogatio.

Secundo quaeritur, Quemnam triennalem pacificum possessorem Regula accipiat, ita dicens: *Nec super eo contra dictum aduersarium, postquam illud per triennium pacifice possiderit, licet tunc mota fuerit*: Respondeo, cum eodem Mandosio, (Auditoris Glossa & Gomezij sententia praetermissa) cum accipi, qui beneficium per triennium quiete possederit, seu verum, seu verisimile tantum Regula, quem coloratum appellant, seu etiam non verisimilem habuerit. Ita vt lanus hae Regulae triennalem possessorem accipiat, quam Regula 36. de triennali posses. Denegatur itaque subrogatio cuiusque intendenti litem illi, qui per triennium pacifice beneficium ante possederit, siue ex veritate, siue ex verisimilitudine: solum requirit hae Regulae triennij cursum, ex quo in pacifica possessione, antelitem intentatam, & ita iudicatum esse ait Mandosius, ab Auditoribus in Rota.

Tertio quaeritur, An in vniuersum, Regula subrogationem denegat impetrantibus beneficia quorumcumque viuentium, An vero solum ijs, qui beneficia senum, vel infirmorum, vel aliorum similium impetrant? Martinus Quintus, teste Gomezio in praefatione huius Regulae, Constitutionem ediderat sic habentem: *Sed nonnulli ambitionis ardore feruentes in diuersis Regionibus viros Ecclesiasticae beneficia obtinentes, forte senio, vel infirmitate & contractibus explorant, ipsosque super criminibus, & delictis falso deserunt, & obtinent rescripta iudicibus directis; priuando, praesertim alium criminum, beneficij huiusmodi, & eisdem delatoribus providendo, & consequenter eos senes, & infirmos vigore commissionis huiusmodi super delatis criminibus citari facientes, nihil, aut paruum amplius prosequentes, & deinde post eorum obitum beneficia huiusmodi praesertim citationis facta, litigiosa praetendentes, & nullum praeter Romanum Pontificem posse conferre vacantia, tanquam litigiosa impetrata: & procurant se in ius defuncti subrogari, aut eadem eis beneficia conferri. Volentes talibus insidijs, & fraudibus obuiare: ex quibus etiam aperitur via machinationis in mortem: Proinde declaramus per citationem huiusmodi, aut alium inde secutum processum circa priuationem citati, beneficia minime litigiosa, neque litem super his pendente censeri, si per annum steterint, quod litem per citationem continue prosecuti non sint: quinimo de beneficio huiusmodi per obitum possessoris, per illos, ad quos alius dispositio pertinet, libere possi disponi. Sic verba Constitutionis habent. Hinc apparet,*

cur Adrianus VI. Paulus III. caeterique posteriores Pontifices addiderunt haec verba: *(Illorum praesertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem vicia periculum imminet:)* Mandosius igitur qu. 6. negat per Regulam Cancell. de subrogandis colligantibus, excludi a subrogatione impetrantes beneficia quorumcumque viuentium, sed solum senum, aut infirmorum, vel his similibus: eo quod Regula constituta esse videatur, vt fraudibus, & calumnijs impetrantium beneficia, aditus praeccluderetur: fraudes autem & calumniae plurimae, & maximae interueniebant in beneficijs impetrandis senum, & infirmorum: eorum enim beneficia impetrantes, cum sperarent, aut etiam operarent cito mori, ac propterea se absque dubio in eorum locum subrogandos, facile litium occasiones quaerebant, & hostes quoque se fingebant, ac opponebant. Caeterum verius mihi videtur, per eam Regulam excludi in vniuersum, impetrantes beneficia quorumcumque viuentium, nam Regula sic habet: *(Cupiens eorum fraudibus obuiare, qui viuentium beneficia, illorum praesertim, quibus propter senium, aut propter infirmitatem imminet vicia periculum, impetrant.)* vbi particula *(praesertim)* exprimit casum minus dubitabilem, & continet casus magis dubitabiles, & in eis significat idem iuris esse. l. 1. §. Pater, vers. vel maxima. ff. de collatione bonorum, & gl. in l. vltim. vers. praesertim. ff. de liberis hominibus exhiben. ergo licet Regula exprimat eos, quorum propter senium aut infirmitatem beneficia impetrantur; comprehendit etiam alios quoscumque viuentes, quorum beneficia solent impetrari: verba item Regulae initio apposita id significant, cum dicunt: *(licitum succedere cupiens anfractus, & ne noui colligantibus aduersarij dentur, prouidere.)* Nec obstat quod Mandosius objicit: sequitur inquis, vt Regula aliquid superuacuum habeat: nam si excludit sine vilo discrimine impetrantes beneficia quorumcumque viuentium, quorsum illud: *Quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem, aut alius similibus impeditur*: Nec item contra nos facit, quod in Regula additur: *strictissimo obseruari mandauit in impetrationibus beneficiorum per priuationem, & amissionem.* Nam et si Regula generatim denegat subrogationem impetrantibus beneficia quorumcumque viuentium, excludit tamen seuerissime a subrogatione eos, qui beneficia impetrant tanquam vacantia, propter crimina, vt si postea moriantur Beneficiarij, in eorum locum subrogentur: & propterea strictissime praecipit Pontifex, ne huiusmodi subrogentur, nisi per sententiam priuationis in rem iudicatam transisset. Est autem Regulae iuri communi, & naturali maxime consentanea, c. 1. de concess. praeb. Sancitur, ne qui viuentis beneficium impetret, & consequatur: alioquin ab Ecclesiastica communiione arceatur: beneficia enim debent esse perpetua, c. 1. de iust. & nemo est sine causa a beneficio amouendus. c. Inuentum 18. qu. 6. Item ius in aliena re, dari iure non potest, l. 2. ff. de pignorat. act. Praeterea votum caprandae, vel operandae mortis etiam ipsae gentes execrantur. c. 11. de concess. praeb. Accedit, quod ambientibus beneficia omnis occasio est praecedenda cap. Quia in tantum, de praeb.

Quarto quaeritur, An subrogatus in litem, & ius defuncti, subrogatus censetur in possessionem, quam defunctus habebat? Respondeo, cum Mandosio q. 7. & Gomezio q. 9. ita distinguendo: aut subrogatur simpliciter in litem, & ius defuncti, nulla facta mentione possessionis, & hic non censetur subrogatus in possessionem, vt colligi videtur ex l. Pompon. §. Quaesitum, & l. Cum heredes. ff. de acquir. possess. aut subrogatur ad omne ius, quod defuncto quomodolibet conueniebat, & hic subrogatus habetur etiam in possessionem: eo quod verba generalia etiam possessionem continent. Ita Auditores Rorae iudicauerunt decis. 274. Subrogatus in lit. vers. Alii tamen, in nouis. Fel. in Rubr. de reser. n. 6.

Quinto quaeritur, An subrogatus in litem, & possessionem quam defunctus habebat, subrogatus quoque sit in ius persequendi spoliū, hoc est, in ius recuperandae possessionis creptum? Respondeo, cum eodem Mandosio & Gomezio, subrogatum in possessionem, hoc ipso subroga-

tum cenferi ad omnem poffeffionem, ac proinde ad eam quoque, qua defunctus fruebatur, antequam amitteret: ratione cuius poffeffionis remedium poffefforium leges, & iura concedunt.

Sexto quaeritur, An hæc Regula locum habeat, quando alicui ius est intentata vi reſcripti ſubreptitij? Gomezius qu. 11. negat; Rebuffus vero in *Gloſ.* affirmat: cui ſubſcribit Mandofius qu. 9. Mihi tamen magis probatur opinio Gomezij. nam reſcriptum ſubreptitium nullius eſt momenti, ergo pro nihilo habetur: quemadmodum iurandum non rite præſtitum pro nullo habetur: & citatio irrita, & inanis citatum non afficit, ita vt ſe in iudicio ſiſtere non cogatur. Denique paria ſunt, aliquid non eſſe factum, & eſſe irritum, & inane: vt colligitur ex l. *Quoties, §. l. de die pomena. §. 1. ff. Qui ſat: ſolare cogantur.*

Septimo quaeritur, An hæc Regula extra Curiam Romanam locum habeat in Ordinarijs locorum, & Legatis à latere: Gomezius, & eo antiquior Auctor *Gloſæ* affirmant, Mandofius vero q. 3. negat: cuius ſententiam magis ipſe probat, nam Canones, & iura nullam tribuunt facultatem Ordinarijs vel Legatis ſubrogandi aliquem in litem, & ius defuncti. Ea item verba, quæ in Regula ponuntur: *Sine tunc vacet, vel cum vacabit:* in Ordinarios locorum, vel Legatos non cadunt: ſolius enim eſt Pontificis Romani, ius ad beneficia vacatura concedere, c. 2. *§. c. ex tenore, de conſeſſio. prabend. §. cap. 2. de praben. in 6.* Minuſque conuenire poſſunt Ordinarijs locorum vel Legatis illa verba: *Et gratia ſi neutri: ſi nulli: ſeu noua prouiſio: aut perinde valere:* hæc enim reſcripta ſolus Papa concedit.

Octauo quaeritur, Quodnam reſcriptum ſit illud, quod vocatur, *reſcriptum ſi neutri, ſi nulli, ſi alteri?* De hoc reſcripti genere ait Rebuff. in *praxi beneficior. q. 1. tit. de reſcripto ſi neutri, ſi nulli, ſi alteri.* Et ego præcedenti libro tractaui c. 33. q. 5. cum agerem de Mandatis Apoſtolicis ad conferendum alicui beneficium. Reſcriptum, *ſi neutri*, eſt: quando duo litigant de aliquo beneficio, & tu intelligens neutrum obtinere ius in eo, impetras illud beneficium à Papa ea conditione, vt ſi neuter ius habuerit in beneficio, tibi conferatur. Et hoc dupliciter ſolet Papa concedere, vel enim reſcriptum ipſum mittit ad Ordinariũ, qui cognofcit de lite: vel ad alium quemlibet, quem Papa maluerit: vel ipſemet Papa confert ius ipſum ad beneficium, ſi neuter litigantium ius in illo habuerit: vnde iſ ſinita lite petit in iudicio, vt ſibi beneficium conferatur. *Rebuff. loc. cit. n. 4.*

Reſcriptum, *ſi nulli*, datur, quando tres, vel plures de beneficio litigant, & tu impetras à Papa, vt ſi nullus eorum ius habuerit in beneficio, tibi detur.

Reſcriptum, *ſi alteri*, datur, quando duo litigant de beneficio, & vnus eorum impetrat à Papa, vt ſibi beneficium conferatur, ſi alteri ius quaeritum non ſit in eo. *Rebuff. loco citato. nu. 5.*

Hæc reſcripta locum non habent, niſi quando beneficium eſt litigioſum, lite nondum extincta: vt docet *Gloſ. in Regula Cancellar. 32.* vnde neceſſe eſt ad huiusmodi reſcripta legitime impetranda, vt fiat mærio beneficij litigioſi.

Item huiusmodi reſcripta non proſunt impetrantibus, quando ius eſt alicui quaeritum, ſiue ſit ius in re, ſiue ius ad rem, vt ait *Rebuff. loco cit. n. 20. ſequuntur Egidium Bella in conſ. 43. verſ. ad ſeptimum dubium, & Paulum Paris. conſ. 117. nu. 26.* Et ideo dicitur, *ſi neutri, ſi nulli, ſi alteri*, ſcilicet ius quaeritum non ſit. Vnde poſt ſententiam, qua tranſiit in rem iudicatam, non impetrantur huiusmodi reſcripta, quia amplius in lite non proceditur: niſi quis eſſet reſtitutus in integrum, & penderet adhuc reſtitutio: vel niſi appellafſet à ſententia, appellatione adhuc pendente, *Rebuff. loco citato n. 29.*

Item, non dantur hæc reſcripta, ſi victus ſit aliquis tribus ſententijs datis contra eum, quia beneficium eſt tunc alteri adiudicatum, & ideo ius ei competit: & illæ ſententiæ executioni mandantur: quia alter litigantium exclusus eſt per tres ſententias conformes. *Clem. 1. de ſenten. & re iudicata. Rebuff. loco cit. n. 22.*

CAP. XXXIII.

De ſexto reſcripti genere, quod datur à Pontifice Romano (vt dicitur) per diſpenſationem.

Quinſus modus quo conferuntur, & retinentur Eccleſiaſtica beneficia, eſt reſcriptum, quo Pontifex iuſtam ob cauſam iuris communis rigorem remittit & laxat: quod reſcripti genus à iuris Canonici peritus Diſpenſatio vocatur. Quod autem illi diſpenſare, dicunt veteres, Legibus ſoluere, dicebant, vel indulgere, vel Legis, & Canonici rigorem temperare, mitigare, remittere, relaxare, & ſimilibus modis.

Primo quaeritur, Quid ſit diſpenſatio? communiter ita definitur: Proinde iuris communis relaxatio, neceſſitate, vel vtilitate penſata. *Gloſ. communium omnium conſeſſu recepta, in c. Requiris. §. Niſi rigor. l. q. 7. Abbas in c. cum in curiis. de elect. c. c. Extirpanda. §. Quis vero, de praben.*

Secundo quaeritur, Quotuplex ſit, quod ad præſens inſtitutum ſpectat, diſpenſatio? duplex, tacita & expreſſa. Tacita diſpenſatio eſt, qua Rom. Pont. ſciens homini alioqui indigno, vel inhabili beneficium concedit, vel inhabilem, ſeu indignum ad beneficium, officium, adminiſtrationem, vel alud ſciens admitit, & promouet. Vnde hæc tacita diſpenſatio eandem vim habet, quam expreſſa, & proinde eundem effectum præſtat. *Gloſ. in ca. Quis in aliquo. diſt. 5. Innocentius c. Burrius in c. Veniens de ſi. preſbyt.* Nam cum Princeps ſciens aliquem habilem non eſſe, beneficium ei confert, eo ipſe iuris rigorem remittit. Non ſic autem quando ignorat, habilis necne ſit. Vitium enim ignoratum, nequaquam remittit Princeps, *l. Mater. ff. de inoffic. teſtam. c. 6. Sæo tempore. de reſcrip. in 6.* Quare ſi Papa domeſtico & familiari ſuo Clerico gratiam concederet ad beneficia ſæcularia, & regularia in titulum nulla facta mentione diſpenſationis, hoc factum diſpenſare crederetur, quia ſufficit, ſi Papa noſcit, ea eſſe beneficia, quæ iure communi ſimul conſiſtere nequeunt: quæ incompatibilia vocantur, ex *Mandofio in praxi Signatura gratia. verb. Diſpenſationes.* Expreſſa diſpenſatio ea eſt, qua ſupplicatio Papæ oblata continet hæc verba: *diſpenſare dignemini* vel quando dantur litteræ Apoſtolicæ ſic: *Diſpenſamus, omnino ſupplentes deſectum.* Imo etiam ſi continent verbum, *permittedimus*: nam in *c. Litteras. de Filijs preſbyt. c. 1. de etat. & qual. in 6.* habetur: *Permittedimus ipſum ordinari in Clericum.*

Tertio quaeritur, An diſpenſare, ſit principis ſolius? Reſpondeo, cum ſit contra ius commune, Principi reſeruatum eſt. *l. Qui in Pronuncia. §. Diuus. ff. de ritu nupt. c. Requiris. §. Niſi rigor. c. 1. ſeq. l. q. 7.* Aliquando tamen Epicoſopus poteſt aliquem Canonibus ſoluere, ſed non niſi ex cauſa, & in ijs, quæ ſunt ipſi iure communi, conſuetudine, vel priuilegio conceſſa ſeu permiſſa: *de qua re dixi lib. 4.*

Quarto quaeritur, An diſpenſatio motu proprio Pontificis concedatur? Omnes vno ore ſententur, non concedi niſi ad preces, & petitionem eius cuius intereſt, c. *Innotuit. ad fin. de elect. c. vlt. de ſchismat. &* ratio eſt, quia ſolui, & relaxari ius non debet, niſi aliquo petente, inſtante, & ſupplicante, iuxta illud: *datur petentibus venia.* Vnde eum qui petit, poenitere oportet ſuæ culpæ, vel facti. Aliquando tamen diſpenſationes conceduntur motu proprio, ſicut & abſolutiones, *ſiſte Mandofio, quem ſupra attulimus loco.*

Quinto quaeritur, An diſpenſatio à Priuilegio differat, & indulto? Abbas in *ca. Quia circa de conſanguinita.* ait, priuilegium ſine cauſa, ſolo Principis arbitratu concedi: diſpenſationes vero gratiam non conſueuiſſe ſiſpe cauſa dare, quæ ſi nulla, vel falſa fuerit, diſpenſationem ita vitiat, ac deprauat, vt ea minime ſubſiſtat. Rurſus priuilegium Principis quam pleniffime interpretari debemus. *l. beneficium. ff. de conſ. diſpenſationem vero non item. ca. 1. de filijs preſbyter. in ſexto. §. cap. Ordinarij. de offic. Ordin. eodem libro.* Poro non ijs, quæ ſunt contra ius commune

datur